



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, 1680

19. An interdictus ab ingressu Ecclesiae, si moriatur cum signis
poenitentiae, sit absolvendus, ut possit sepeliri in loco sacro? Ex p. 5. tr.
10. res. 75. alias 74.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76372](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76372)

Sup. hoc sup.
in Ref. 16.
lege doctri-
nam §. 2.

Negativam sententiam docet Gordon, tom. 2. lib. 7. quæst. 16. cap. 8. num. 56. Suarez disp. 3. §. 1. Alter, tom. 2. disp. 7. cap. 2. Hurtadus tr. de interd. diff. 9. n. 31. Cobiuch de Sacr. disp. 17. dub. 2. n. 59. asserentes interdictum ab ingressu Ecclesiæ illicitum in ea suscipere Sacramenta, quia credibile non videtur aliquem iudicari indignum, qui aliis divinis Officiis interfuit, & tamen ei permittere, ut cum aliis in Ecclesia Sacramenta recipiat. Et Ecclesia non tantum instituta est ad divina Officia celebranda, sed etiam ad Sacramenta ministranda, & suscipienda.

2. Sed affirmativam sententiam probabilem esse puto: nam Coninch negativam, quam ipse tenet ubi supra, vocat tantum probabiliorum. Et ita hanc sententiam absolute tenet Henriquez lib. 13. cap. 32. num. 2. & Avila part. 5. disp. 4. §. 1. dub. 1. concl. 6. & ratio est, quia interdictum ab Ecclesia non prohibetur usus Sacramentorum, sed usus divinarum Officiorum, & sepulturæ: ergo. Et ita hanc sententiam post hæc scripta invenio etiam docere Bonacinam de censur. disp. 5. punct. 5. num. 12.

RESOL. XVIII.

An interdictum ab ingressu Ecclesiæ possit in Cœmeterio Officia divina audire, & Missam celebrare? Ex p. 5. tract. 10. Ref. 76. aliis 75.

Sup. hoc sup.
ex Ref. 15.
lege doctri-
nam §. 2.

Negativam sententiam docet Villalob. in summ. tom. 1. tr. 19. diff. 9. n. 5. ubi sic ait. [Ha se de advertit, que aunque en el cœmeterio se dixesse la Missa, o el Oficio divino, no puede asistir allí el que está desta manera entredicho; por que por nombre de Iglesia también se entiende el cœmeterio, como nota la Glosa, y se colige de un texto, y tiene esta sentencia Abad, y ha se de entender del cœmeterio contiguo, como se colige del texto citado.] Ita ille.

2. Qui tamen ibi, & merito, affirmativam sententiam probabilem vocat, quam tenet Filliucius tom. 1. tr. 18. cap. 5. n. 103. Reginald. tom. 2. lib. 32. tr. 3. cap. 29. n. 41. & alii. Et ratio est, quia in talis interdicti sententia tanquam pœnali (& ideo restringenda interpretatione) nomen Ecclesiæ accipiendum est in sigore, quo non comprehendit cœmeterium, ut patet ex communi usu, & ideo jus in cap. is cui, de sententia excomm. in 6. tanquam non satis indicatum prius nomine Ecclesiæ addidit nomen Cœmeterii, ut ad ipsum extenderet privationem sepulturæ Ecclesiasticæ. Verba sunt hæc. Talis quoque si hoc interdictum durante decedat, non debet in Ecclesia, vel Cœmeterio Ecclesiastico, nisi pœnituerit, sepeliri. Vide etiam Suarez disp. 38. §. 1. num. 9. & sequent.

RESOL. XIX.

An interdictum ab ingressu Ecclesiæ, si moriatur cum signis pœnitentie, sit absolvendus, ut possit sepeliri in loco sacro? Ex p. 5. tract. 10. Ref. 75. aliis 74.

Affirmativam sententiam docet Bonacina de cens. disp. 5. punct. 5. n. 1. ubi sic ait. Interdictum ab ingressu Ecclesiæ non potest sepeliri in Ecclesia, vel Cœmeterio, nisi forte dederit signa contritionis, tunc enim potest absolvi, & sepeliri in loco sacro. Ita ille.

2. Sed in tali casu ad talem sepeliendum nullam adhibendam esse absolutionem, docet Cornejo in 3. p. tract. 5. de interd. disp. 2. §. 4. quæst. 2. ubi sic ait. Quæres an hoc interdictum privet Ecclesiasticam sepulturam? Respondetur affirmative ex textu in d. cap. bis qui ibi: Talis quoque si hoc interdictum durante decedat, non debet in Ecclesia, vel Cœmeterio Ecclesiastico, nisi

Sup. hoc sup.
ex Ref. 15.
lege doctri-
nam §. 1.

pœnituerit, sepeliri. Vbi nota quod ut iste talis sepeliatur in loco sacro, nulla requiritur absolutio à tali interdicto ab homine facta, ut cum Covarruvia docet Avila part. 5. disp. 4. §. 1. dub. 1. concl. 1. & ratio est, nam eo ipso, quod decessit cum pœnitentia, manifestus est absolutus à jure, siquidem hoc interdictum quantum ad hunc effectum positum erat, nisi pœnituerit, atque ita conditione impleta, sublatus manet. Ita Cornejo, & ego.

RESOL. XX.

An in interdicto personali generali licita sit Ecclesiastica sepultura? Ex p. 5. tract. 10. Ref. 67. aliis 66.

Negativè respondet Faber de cens. in 4. sent. disp. 23. §. 1. disp. 5. cap. 2. num. 56. ubi sic ait. In interdicto personali speciali persona interdicta mulibi sepeliri potest sepultura Ecclesiastica, ut habetur cap. si civitas de sententia excomm. & est communis opinio. Ratio differentie est clara, quia in primo interdicto prohibitio non fertur in personas absolute, sed ratione loci solum; in secundo verò absolute fertur in personas. At de interdicto personali generali contentio inter DD. Aliqui tenent etiam ipsos privari Ecclesiasticam sepulturam propter jura adducta de interdicto personali, & præsertim ex cap. si sententia, de sententia excomm. in 6. ubi interdictum personale dicitur ligare singulas personas. Tamen Suarez ubi supra tenet oppositum, propter Extravag. ad evitanda, quæ requirit quod persona sit nominatim denunciata, & interdicta. Sed hæc opinio est difficilis, quia sequeretur quod neque privarentur aliis effectibus, scilicet celebratione divinarum Officiorum, & participatione quorundam Sacramentorum; quod tamen est contra essentiam interdicti. Ad fundamentum ejus responderetur sufficere quod sententia interdicti personalis sit publicata. Hæc Faber & hanc sententiam in prætenendam esse putat Turrian. lib. 6. disp. 51. dub. 1. & illam absolute contra Suarez tenet Præpositus in 3. p. quæst. 4. de interdicto, dub. 4. num. 51.

2. Verum sententiam Suarez disp. 35. §. 1. n. 2. quam impugnant DD. citati sequitur Cornejo in 3. p. tract. 5. de irreg. §. 3. q. 2. ubi docet in interdicto personali generali non esse denegandam Ecclesiasticam sepulturam, ex dicta Extravag. ad evitanda, ubi conceditur privilegium erga eos, qui non sunt nominatim denunciati; nam quamvis in generali interdicto personali fiat generalis denunciatio totius populi, aut communitatis, illa tamen est remota respectu cujusvis in particulari. Vide etiam Megalium in 3. p. lib. 6. cap. 2. num. 6.

RESOL. XXI.

An qui tempore interdicti habent privilegium particulare assistendi divinis Officiis, vel interequentes in diebus Paschatis, Pentecostes, &c. possint in loco sacro sepeliri? Ex p. 5. tract. 10. Ref. 68. aliis 67.

Negativam sententiam docet Cornejo in 3. p. tract. 5. de interd. disp. 3. §. 4. q. 1. Præpositus in 3. p. q. 4. de interd. dub. 3. n. 42. Hurtadus tract. de interd. diff. 9. n. 30. Gordonus tom. 2. lib. 7. q. 16. cap. 4. n. 44. Cobiuch de Sacram. disp. 17. dub. 2. n. 55. Suarez disp. 38. §. 1. n. 13. Villalob. in summ. tom. 1. tr. 19. diff. 8. n. 4. Mercer. in 3. p. q. 24. de interd. dub. 4. Filliucius tom. 1. tr. 18. cap. 3. num. 96. Alterius de cens. tom. 2. disp. 6. n. 3. & ratio est, quia, ut patet ex c. Episcoporum, de privatis leg. in 6. & ex c. si sententia, de sententia excomm. in 6. Privatio